

quia faciunt contra præceptum obedientiæ impositum a Julio III, et confirmatum a Pio IV, in citat. constitution. ibi, *In virtute sanctæ obedientiæ*. Et sic tenent doctores citati, et alii communiter. (18. Non ineurrunt autem excommunicationem, aliasque pœnas latas in citat. constitutionibus a Julio III et Pio IV quia Alexander VII, in cit. constit. incip. *Speculatores domus Israel*, supra adducta sub n. 9, omnes pœnas, et censuras in materia librorum prohibitorum hactenus latas, exceptis latis in bulla Cœnæ reduxit ad pœnas contentas in constit. Pii IV incip. *Dominici gregis*, in qua constitutione, ut patet ex ipsius verbis adductis supra sub n. 10, non infligitur excommunicatio, aliave pœna non consignandis, aut retinentibus, aut legentibus. (19. Tum quia dicti Pontifices Julius III et Pius IV in citatis constitutionibus non percutiunt excommunicatione, aliisque ibi latis pœnis ipsos non consignantes, ut non consignantes, sed solum ut retinentes, in quantum scilicet supponuntur retinere libros, quos non consignant; quod non verificatur de comburentibus, cum ipsi, ex quo libros comburant, aperte constet, quod non retineant. Sic Bordonus in *Manual. consult.*, sec. 48, n. 54; Pueronius apud Dianam part. 10, tract. 12, resolut. 48; Felix Potestas, tom. II, par. II, n. 372 et sequent. et Sanchez, Filliuc., Pignatell., apud La Croix, lib. VII, n. 353, et alii contra Suarez, Barbosa, Dicastill. Krimmer, et alios. Et constat ex verbis ipsius constitutionis Julii III, confirmatæ a Pio IV, ibi prope finem: « Volumus autem quod ii, qui libros Lutheranos, seu alios prædictos infra spatium, et terminum hujusmodi, dictis Inquisitionibus consignaverint, nisi ipsi alias, quam ex retentione librorum hujusmodi hæretici, seu de Fide suspecti fuerint, eo ipso, etiam absque aliqua desuper faciendi abjuratone, a censuris, et pœnis propterea forsan incursis in utroque foro absoluti sint, et esse censeantur, prout Nos, etc. »

(20. Et colligitur etiam ex duabus constitutionibus Innocentii XI, una incip. *Cum sicut accepimus*, edita die 16 Sept. 1680, et alia incip. *Dum sicut Nobis*, edita die 26 Feb. 1687, in quibus, sub excommunicatione majori, interdicit lectionem, et retentionem quorundam librorum, deinde absque illa expressione censuræ, præcipit, ut qui eos habuerint, « teneantur tradere, atque consignare locorum ordinariis, vel inquisitoribus, qui exemplaria sibi tradita illico flammis aboleri curent. »

(21. Nec etiam incurrunt excommunicationem bullæ Cœnæ, quia, licet Alexander VII in cit. constitut. incip. *Speculatores domus Israel*, reducens omnes pœnas, et censuras contra legentes, et retinentes, etc., libros prohibitos ad pœnas contentas in constitut. Pii IV incip. *Dominici gregis*, excipiat expresse pœnas, et censuras latas in bulla Cœnæ, ut patet ex ipsius verbis adductis supra sub n. 9, in fine, bulla Cœnæ tamen exprimit solum legentes, retinentes, impri-

mentes, et defendentes libros hæreticorum, et nullam mentionem facit de comburentibus, de quibus etiam, si voluisset, expressisset, quod enim voluit expressit; arg. c. *Inter corporalia 2, De translat. episcop.*, § *Sed neque istud*, et cap. *Quia circa 22, De privileg.*, et cap. *Ad audientiam 12, De decimis*. Eo vel maxime, quod ex regula 15 *Juris*, in 6: « Odiâ restringi, et favores convenit ampliari, » et ex Regul. 49, eodem in 6: « In pœnis benignior est interpretatio faciendâ, » et ex 1. *Interpretatione 42, § De pœnis*: « Interpretatione legum pœnâ molliendâ sunt potius, quam exasperandâ. »

(22. Qui vero consignant dictos libros prohibitos aliis habentibus licentiam, seu facultatem illos legendi, non abdicantes a se dominium, sed tantum deponentes ad tempus, incurrunt excommunicationem, quia reipsa tales libros retinent apud alios: Ugo lin, Graff., Sayrus, Fagund., Sanch., Bonac., Sousa, Pignatell., citati, et secuti a La Croix lib. VII, n. 253. Ubi subdit, quod contra, si illos ipsi tradant, abdicantes a se dominium, et possessionem, licite faciunt; religiosi autem, imo, et alii sæculares satisfaciunt, si tradant in locum sequestratum, qui solet esse assignatus in singulis monasteriis: et dicitur carcer hæreticorum, seu infernus. Hæcille. (23. Et sic tenent Veruys, tract. 5, art. 7, Reiffenst., lib. V *Decretal.*, tit. 7, n. 129, et alii plures, volentes, quod consignatio, et conservatio librorum prohibitorum in bibliothecis regularium, ubi solent adesse Religiosi habentes licentiam, seu facultatem ipsos legendi, non repugnet nec bullæ Cœnæ, nec Indici librorum, imo, quod plerumque melius, et consultius sit, libros prohibitos modo supradicto in ipsis regularium bibliothecis asservari, quam comburi; quia, si juxta verborum corticem, omnes libri hæretici, et suspecti de hæresi, vel falso dogmate, postquam ab aliquo fuerint lecti, statim deberent comburi, et non possent pro ulteriori lectione ab eodem, vel ab aliis similem ipsos legendi licentiam habituris, asservari, hoc cederet in magnum Ecclesiæ, et religionis catholice præjudicium et detrimentum. Quomodo enim possent ad defensionem veritatis infallibilis nostræ fidei, et religionis objurgari, et impingi ad oculum ipsis hæreticis falsitates, errores, deceptiones, contradictiones, discordiæ, mutationes, mutilationes quas etiam in substantialibus fidei, et religionis articulis, et sacre Scripturæ textibus ipsi ad fundandas, et tuendas falsas suas sectas adinvenerunt, fecerunt, et commiserunt, si combusti fuissent, et in dies comburenterent eorum libri, tractatus, confessiones, conciliabula, et scripta, in quibus supradicta omnia apparent, ut de facili reperiuntur, et ex quibus hactenus fuerunt deprompta ad eorum confusionem, et confutationem non sine ingenti nostræ catholice fidei incremento?

(24. Tum quia, si, ut voluit aliqui, juxta corticem textus, quivis liber prohibitus, postquam ab aliquo lectus est, non amplius retineri posset, sed statim comburi deberet,

seu consignari ad comburendum, omnes libri prohibiti cito perirent, et sic superflue, et inutiles redderentur facultates, et licentiæ libros prohibitos legendi a sacra Indici congregatione, de mente sanctissimi, in dies concedi solitæ, quod non est dicendum, cum omnia privilegia, facultates, et rescripta gratiæ aliquid operari, et effectum aliquem sortiri debeant, arg. c. *In his 30, De privilegiis*, cum similibus. Unde expediens et satis proficuum videtur pro licita, et utili lectione, eos, ut supra ante, asservari posse in bibliothecis monasteriorum, ubi adsunt, et solent adesse religiosi habentes licentiam illos legendi, non obstante quod cortex verborum aliud insinuare videatur, quia etiam ad rescripta applicari bene possunt, quæ de legibus dicuntur pluribus in locis, et signanter in cap. *Humana aures*, 11, caus. 22, qu. 5, ibi: « Non debet aliquis verba considerare (*Intellige, nude et simpliciter*), sed voluntatem et intentionem, quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni, » et cap. *Intelligentia 6, De verbor. signific.*, ibi: « Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus, » et cap. *In his 15*, eodem tit., ibi: « Considerantes nihilominus, quod non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem, cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant inservire, interpretamur, » etc. Hinc *Scire 27, De legibus*, dicitur: « Scire leges non est earum verba tenere, sed vim et potestatem. » Petra autem, et quidem tutius, sentit contrarium in tom. III *Comment ad constitut. 2 Innoc. IV*, sect. 1, n. 15. *Vide ibi.*

(25. Licentiæ legendi libros prohibitos non possunt hodie concedi, nisi a Summo Pontifice, et sacra congregatione S. Officii, aut a specialiter deputatis ab ipsis. Sic expresse statuit Urbanus VIII, 2 Aprilis 1631, const. incip. *Apostolatus officium*, ibi: « Neque de cætero similes licentiæ, nisi a congregatione S. Officii, dum singulis hebdomadis coram Nobis habetur, vel ab aliis per Nos etiam in eadem congregatione specialiter deputandis, concedantur. » Unde eas concedere non possunt cardinales, episcopi, aut inquisitores, vel generales ordinum.

(26. Imo nec ipsimet possunt tales libros prohibitos legere, nisi a Sede Apostolica, seu per dictam sacram congregationem sit eis specialis ad id concessa facultas; sic colligitur ex constitutione Julii III incip. *Cum meditatio cordis*, quæ expresse revocat omnes, et quascunque facultates legendi libros damnatos, concessas quibuscunque personis, cujuscunque status, ordinis, et conditionis, etiamsi episcopali, vel archiepiscopali, vel alia majori dignitate ecclesiastica, seu sæculari præeminentiæ fulgeant, cum qua concordat const. Pii IV incipiens: *Quia in futurorum eventibus*; et alia ejusdem incipiens: *Cum pro munere*; et citat. constitutio Urbani VIII, incipiens *Apostolatus officium*, ubi sic præcise habet: « Motu proprio, etc., omnes, et singulas li-

centias legendi, et habendi libros quoscunque ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, seu per constitutiones Apostolicas, etiam ratione astrologiæ judiciariæ, vel alias quomodolibet prohibitos, quibuscunque personis laicis, et ecclesiasticis, tam sæcularibus, quam regularibus cujuscunque ordinis, societatis, et instituti existentibus, ac quacunque dignitate, etiam ecclesiastica fulgentibus, cujuscunque status, gradus, conditionis, qualitatis, et præminentiæ, etiam speciali nota, et mentione dignis, ac per Litteras Apostolicas ad tempus, seu ad vitam, et aliter quomodocunque a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, seu a quibuscunque aliis a nobis, vel ab eis facultatem, et auctoritatem habentibus; non tamen a Nobismetipsis per Litteras Apostolicas etiam in forma brevis, seu per chirographum manu nostra signatum concessas, earum tenores præsentibus pro expressis et insertis habentes, hæc nostra perpetuo valitura constitutione revocamus, cassamus, et annullamus, etc. » Sic Suarez, *De fide*, disputat. 20, sect. 2, n. 28; Sanchez, in *Præcepta Decalog.* lib. II, cap. 10, n. 46; Ricciul., *De jure personar.*, lib. V, cap. 25, n. 4; Bordon., in *Manual. Consultat.*, sect. 60, n. 22; Felix Potest., tom. II, part. II, n. 386; Barbosa, *De offic. et potest. episc.*, part. II, allegat. 90, n. 7 et 8, et alii passim.

(27. Ad incurrendam excommunicationem Papæ reservatam, latam in bulla Cœnæ § 1, his verbis: « Excommunicamus, anathematizamus, etc., omnes, et singulos hæreticos, quocunque nomine censeantur, etc., ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate nostra, aut Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa, publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore, etc., » quinque simul conditiones requiruntur, ita ut, una deficiente, excommunicatio non incurrat. Layman, lib. II, tract. 1, cap. 15, n. 1; Busemb., lib. VII, cap. 2, dub. 4, art. 5, n. 1; Felix Potestas, tom. II, part. II, n. 353, et alii passim.

(28. Prima requisita conditio est, ut liber sit alicujus veri hæretici, seu ut auctor sit vere hæreticus; unde excommunicationem bullæ Cœnæ non incurrunt, qui legunt librum pagani, Turcæ, Judæi, vel alterius infidelis non baptizati, quamvis de religione tractet, et hæresim contineat. Nec illi qui legunt librum auctoris catholici, qui unam, vel plures hæreses ex ignorantia, seu imprudentia, aut inadvertentia inspersas habeat, vel hæreticorum hæreses, ad ipsas impugnandas, etiam ad longum, referat. Bulla enim excommunicat solum illos qui legunt librum hæretici, unde si auctor libri non est verus hæreticus, illum legentes non incurrunt talem excommunicationem, cum lex pœnalis, et omnis alia odiosa sit strictè interpretanda; c. *Odiâ 14, De regul. juris* in 6 ibi: « Odiâ restringi, et favores convenit ampliari, » et cap. *In panis 49*, eod. in 6, ibi:

« In pœnis benignior est interpretatio faciendâ, » et l. *Interpretatione* 2, ff. *De pœnis*, ibi: « Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius quam exasperandæ. » Navar., *Manual.*, c. 27, n. 36; Laym., lib. II, tract. 1, c. 15, n. 1; Sanchez, lib. II, *Moral.*, cap. 10, n. 23; Castropalao, *De fidelitate*, tract. 4, disp. 2, punct. 10, § 2; Reiffenstuel., lib. V, *Decretal.*, tit. VII, n. 36, et alii passim.

(29. Secunda requisita conditio est, ut liber, vel expresse contineat hæresim, vel de religione tractet, ita ut alterum horum sufficiat, quia bulla loquitur disjunctive per dictionem *Vel*, quæ alterutrius subsistentia verificatur; arg. l. *Eum*, ff. *Quando diei legati*; l. *Si illud*, ff. *De legatis*, cum similibus. Unde hanc excommunicationem incurrunt legentes librum hæretici de religione ex professo tractantem, v. g. de theologia scholastica, morali, vel mystica, quamvis nullam contineat hæresim; et eandem incurrunt legentes librum hæretici, si contineat hæresim, etiam in singulari, quamvis de religione non tractet, sed de medicina, philosophia, et hujusmodi; bulla enim plus non requirit, quam, ut liber, vel de religione tractet, vel hæresim contineat; in nostro autem casu liber vere de religione tractat, quamvis non contineat hæresim: et vere continet hæresim, quamvis unam solam in singulari contineat, et tractet de religione; et sic conditio bullæ adimpleta habetur, adeoque excommunicationis incurrunt, Sanchez, lib. II, *Moral.*, cap. 10, n. 34; Diana part. VI, tract. 6, resolut. 55; Castropalao, *De infidelitate*, tract. 4, disput. 2, punct. 10; Leander, *De censuris*, tract. 3, disput. 1, qu. 39, n. 34; Bonac., *De censuris*, disp. 2, qu. 5, punct. 4, n. 19; Farinac., *De hæresi*, quæst. 180, n. 22; Felix Potestas, tom. II, par. II, n. 337 et seq.; Suar., par. III, tract. 5, et alii plures contra Filiuc., Graff., Sayr., Carenam, et alios.

(30. Tertia conditio requisita est, ut scienter liber legatur, retineatur, etc., id est sciatur talem librum esse auctoris hæretici, et tractare de religione, vel hæresim continere; textu expresse in eadem bulla, ibi: « Scienter legentes, aut retinentes, » etc. (31. Unde qui, vel non scit auctorem libri esse hæreticum, vel, si id sciat quidem, ex tunc tamen, vel aliunde deceptus ignorat, illum de religione tractare, vel hæresim continere, excommunicationem bullæ Cœnæ non incurrit, etiamsi ignorantia esset crassa, aut supina, ut tenet *Communis* cum Sanchez, lib. II, *Moral.*, cap. 10, n. 38; Laymann, lib. II, tract. 1, cap. 24, n. 4; Busemb., lib. VII, cap. 2, dub. 3, art. 5, n. 7; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 53; Felix Potest., *loc. cit.*, n. 379. Et ratio est, quia universaliter, quando in lege ad incurrendam censuram requiritur scientia, ut in præsentibus, illa ignorantia excusat, quæ opponitur scientiæ; talis autem est ignorantia crassa, et supina, nam crasse et supine ignorantes, non dicuntur scientes. Covarr., in c. *Alma mater*, par. I, § 10, n. 17; Sil-

vester, verb. *Ignorantia*, q. 8, dist. 4; Reiffenstuel., *loc. cit.*; Sanchez, et alii communiter. (32. Imo Diana, par. III, tract. 6, resolut. 7, et par. V, tract. 6, resolut. 11; Bonac., Tamburin., Hurtad., et alii cum La Croix, lib. VII, n. 343, tenent, quod excuset etiam ignorantia affectata, id est cum quis, data opera, vult ignorare, ut in casu nostro, cum quis, data opera, non vult scire an hic liber sit hæretici, ut liberius illum legat, aut retineat. (33. Quod tamen de hac ignorantia affectata negant Felix Potestas *loc. cit.*, et alii, quia ignorantia affectata æquiparatur scientiæ, et æquivaleret dolo, cum sic affectati ignorantia dolose nolint intelligere, ut liberius peccent, juxta illud Psalmistæ, *Psalm. XXXV: Noluit intelligere, ut bene ageret*; Fraus autem et dolo nemini patrocinari debent, cap. *Sedes* 16 et cap. *Ex tenore* 16. *De rescriptis*, cap. *Tuæ* 12; *De clericis non resident.*, cap. *Ex litteris* 2, *De dolo et contumacia.*, et l. *In fundo*, ff. *De rei vindicat.*, et l. *Cum hi*, ff. *De transact.*, l. *Si legatarius*, Cod. *De legatis*, cum similibus.

(34. Quarta conditio requisita est, ut legatur materia notabilis sufficiens ad mortale. Qualis autem sit materia notabilis, et sufficiens ad mortale, multum controvertitur inter doctores: Toletus enim dicit sufficere unam, vel alteram lineam legi, cum in ea contineri possit hæresis; at hæc opinio, ut nimis rigida, paucos advenit patronos. E contra Crousers apud Dianam in summa, verb. *Hæreticorum libri*, n. 39, dicit requiri eam libri partem, quæ per se sumpta, vere dici possit liber, et quod infra est, dicit esse veniale. At hæc, ut nimis laxa, pauci sunt, qui eam sequantur. Sanchez, Sa, Vivald. Krimer, et alii volunt, minus quam paginam in folio non sufficere ad mortale. Marchant. autem in *Tribunal.*, tom. I, tract. 2, tit. 2, qu. 2; Sporer in *Moral.*, tract. 1, cap. 5, n. 28; La Croix, lib. VII, n. 340, et alii melius dicunt, in hac re attendendam esse materiam, non secundum se, sed secundum finem prohibitionis: Unde, cum quis aperit librum hæreticum, et statim incidit in unam, vel alteram lineam continentem formalem, et veram apertam hæresim, dicendum est, si non statim desistat ac cognoscit, ipsum peccare mortaliter, et incurrere excommunicationem, quamvis legat paucas lineas, quia et periculo se exponit, et agit contra totum finem legis; Si vero incidat in materiam indifferentem, et ut talem cognoscat, dicendum est, ipsum non peccare mortaliter, quamvis legat integram paginam talis materiæ indifferentis, quia sic, cum non se exponat periculo perversionis, non agit directe contra finem legis.

(35. Hinc graviter peccant, et excommunicationem incurrunt legentes hæretici epistolam, concionem, orationem, vel aliam similem parvam scripturam de religione tractantem, aut hæresim continentem; et ratio est, quia in his eadem ratio, idem, et majus periculum perversionis invenitur, ubi

autem eadem est ratio, eadem est legis dispositio, l. *Illud*, ff. *Ad legem Aquiliam*, etc., *Inter corporalia* 2, *De translatione. epis.* Unde sicuti, ubi cessat ratio, et finis legis, vel obligationis, cessat lex, seu obligatio ipsa; l. *Adigere*, § 2, ff. *De jurepatron.* cum ratio legis sit anima legis, l. *Cum ratio*, ff. *De bonis damnator.*, ita a sensu contrario, ubi perseverat, et etiam viget finis legis, vel prohibitionis, perseverat, et etiam viget lex, seu obligatio ipsa.

(36. Nec valet dicere, quod tales epistolæ, conciones, orationes, seu aliæ similes parvæ scripturæ separatæ non veniunt nomine libri, de quibus solum loquitur bulla Cœnæ: *Ac eorundem libros*. Non valet, inquam, quia ex declaratione facta in simili materia a sac. cong. Conc., etiam supraddicta veniunt nomine libri; cum enim esset interrogata circa decretum concil. Trident., sess. IV, *De editione librorum* emanatum, quænam comprehenduntur ibid., nomine libri? respondit comprehendendi sub illo etiam conciones, lectiones, disputationes, et similia. Sic testatur Reiffenst., *loc. cit.*, n. 43, et cum aliis Barbosa *Collec. in Trid.*, sess. IV, n. 8. Tum quia bulla Cœnæ, prohibendo hæreticorum libros, revera intendit, et voluit prohibere omnia illorum opera, sive magna, sive parva, sive impressa, sive scripta, quorum lectio possit esse periculum perversionis legentibus; unde cum etiam ex lectione similium epistolarum, concionum, modicarum scripturarum idem, ac forsitan majus periculum subsit, dicendum est, quod etiam similes epistolæ, conciones, et parvæ scripturæ cadant super eadem bullæ Cœnæ censura, sive in stricto, ac communi sensu libri dici possint, sive non; quia, propter verba legis, non debemus judicare contra intentionem illius, cap. *Humanæ aures* 2, caus. 22, qu. 5, ibi: « Non debet aliquis verba considerare (*intellige nude et simpliciter*) sed voluntatem, et intentionem, quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni, » cap. *Intelligentia* 6, *De verb. signif.*, ibi: « Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus, etc. » In his 15, eod. *De verb. signif.*, ibi: « Considerantes nihilominus, quod non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem, cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire, interpretamur; » et cap. *Certum est* 88, *De regul. jur.*, in 6, ibi: « Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nilitur voluntatem, » et l. *Scire* 16, ff. *De legibus*, ibi: « Scire leges non est verba earum tenere, sed vim, et potestatem, » et sic tenet Farinac., *De hæresi*, qu. 80, n. 30 et 31; Suar., disp. 20, sect. 2, n. 10; Stoz, l. II, part. III, n. 536, et alii plures ibi cit.; La Croix, lib.

(15. *Nota Romani theologi.* — Etsi non incurrit perfrustrando oculis librum, cujus idioma ignoretur, incurrere tamen in censuram videtur retinendo il-

librum, cum Pignatell. et aliis ibi cit.; Reiffenst., *loc. cit.*, a n. 41, et hanc opinionem probabiliorum, et in praxi tenendam censet Palao, *De infidelitate*, tr. 4, dis. 2, punct. 10, § 1, n. 4 et 5. Et probabilissimam vocat Dicastill., d. 3, n. 1165, et vere probabiliorum dicunt Spor., Krimer., et plurimi alii.

(37. Alii autem tenent contrarium. Lugo *De fide* disp. 21, n. 33. Alberghinus, cap. 2, n. 5; Diana par. I, tract. 11, resolut. 34; Buzemb., lib. VII, cap. 2, dub. 3, art. 5, n. 4; Felix Potest., tom. II, par. II, n. 366; Sanchez, lib. II, *Moral.*, cap. 10, n. 29; Bonac., disp. 2, *De censur.*, qu. 5, punct. 4; Durandus, lib. IV, in caus. 1, qu. 44, n. 6; Herinex, disp. 9, *De fide*, qu. 8, n. 86; Laymann, lib. II, tract. 1, cap. 15, n. 3. Alii plures, quorum aliqui contrariam sententiam tenent esse veram, et alii saltem probabilem esse putant, hac ducti ratione, quod tales epistolæ, conciones, et aliæ similes parvæ scripturæ separatæ, non sunt proprie libri, de quibus solum loquitur bulla Cœnæ, adeoque sub ejus censura non comprehenduntur, cum verba legis pœnalis et odiosæ sint stricte interpretanda, cap. *Odia* 15., *De regul. jur.* in 6, ibi: « Odia restringi, et favores convenit ampliari, » et cap. *In pœnis* 49, eod. in 6, ibi: « In pœnis benignior est interpretatio faciendâ. » Quæ sententia revera non caret sua probabilitate.

(38. Quinta conditio requisita est, ut legatur, et retineatur sine auctoritate, seu licentia Sedis Apostolicæ, ut expresse habet ipsa bulla Cœnæ, ibi: « Sine auctoritate nostra, aut Sedis Apostolicæ. » Unde, qui habet licentiam legendi ipsos libros hæreticorum, vel a Summo Pontifice, vel ab aliis ab ipso ad id deputatis, non incurrit dictam censuram bullæ Cœnæ, legendo aut retinendo similes libros prohibitos; qui autem tales licentias concedere possint, vel non. *Vide sup.*, n. 23 et 26.

(39. Per ly legentes, ad incurrendam censuram bullæ Cœnæ, intelligitur omnis, qui non solum voce legit, sed etiam qui tacitus oculis librum percurrit. *Communis*. (40. Legens autem voce, seu oculis librum percurrens, si non intelligat libri idioma, aut linguam, non incurrit talem censuram, quia is proprie non legit, nisi materialiter; ad lectionem enim ab Ecclesia prohibitam requiritur, quod scriptura mente percipiatur, cum solum talis lectio inducat periculum perversionis catholici, et communicationem cum hæretico in doctrina. Sic Diana par. I, tract. 12; Bordon, in *Manual. consult.*, sect. 49, n. 12 et 72; Felix Potest., tom. II, part. II, n. 403; La Croix, lib. VII, n. 341, cum Suarez, Sanchez, Filiuc., Tambur., Krimer, Pignatell., Castropal., Dicastill., Stoz ibi citatis contra Bonacinam, et alios (13).

lum; cum etiam retentio sit sub hac pœna prohibita.

(41. An autem audiens alium legentem librum prohibitum incurrat censuram? Variant doctores; quidam enim tenent, ipsum censuram non incurere, si audiat casu, at vero eam incurere, si consilio, petitione, jussu, aut mandato inducat alium, ut sibi legat, quia qui per alium facit, per se ipsum facere videtur, cap. *Qui facit* 72, *De regul. jur.*, in 6, ibi: « Qui facit per alium perinde est ac si faciat per se ipsum. » Tum quia talis audiens non se habet mere passive, sed active influendo; cum enim mandato, seu consilio inducat alium, ut sibi legat, est ipse causa lectionis, et censetur ipse legere. Econtra si ipse non induxerit, non censetur legere, sed tantum audire. Sic tenent Nald., Azor., Sair., Graff., Reginald., Silvester, Pignatell., Veruys, cum La Croix, *loc. cit.*, n. 342, ubi dicit hanc sententiam videri probabilior, et alii apud Leandr., *De censuris*, tract. 3, dis. 1, qu. 59. Alii autem absolute tenent, ipsum censuram incurere, sive audiat casu, consilio, petitione, aut mandato, quia idem est periculum infectionis in audiente, et legente, et idem odium hæreseos, quæ fuit ratio prohibitionis sub tali censura: adeoque, etc. Sic Leander, *loc. cit.*, qu. 58 et 59; Suarez, Roccaful., et alii. Econtra, alii absolute docent, ipsum censuram non incurere, sive audiat casu, sive consilio, petitione, aut mandato, quia proprie ille tantum dicitur legens, qui visu, et mente scripta percipit, et ex Jure verba legis pœnalis sunt in propria, et stricta significatione accipienda, cit. cap. *Odia* 15, et cap. *In panis* 49, *De regul. jur.*; sic Diana par. 1, tract. 11, resol. 133, cum multis ibi citatis; Portell., verb. *Librorum prohibitio* in addit., n. 11; Tambur., lib. II, *Decalog.*, cap. 1, § 7, n. 32; Felix Potest., tom. II, par. II, sub n. 471, ubi cum aliis solvit rationes opinionum contrariorum; Ugolin., Sanch., Coninch, Dicastill., Stoz, Krimer, et alii cum La Croix, *loc. cit.*, ubi hanc etiam tenent probabiliter.

(42. Legens librum de mandato alterius, a quo prudenter timet grave damnum, non incurrit censuram, quia metus gravis in constantem virum excusat a transgressione præcepti ecclesiastici, cum præceptum ecclesiasticum non obliget cum tanto detrimento. Bordon in *Manual. cons.*, sect. 49, n. 41; Leander, *De censuris*, tr. 3, disp. 1, qu. 57, et disp., 9, qu. 23, cum pluribus aliis ibi citatis. (43. Incurrit tamen censuram, si legat de mandato alterius solum ex metu levi, quia metus levis non excusat a transgressione præcepti ecclesiastici. *Communis*.

(44. Per ly *retinentes*, ad incurrendam censuram intelligitur omnis, qui habet apud se librum, sive proprium, sive alienum, quomodocumque illum habeat, sive retineat illum nomine proprio, sive nomine alieno. Imo etiam si in aliena domo retineat, quia semper dicitur vere retinens. Buzenb., l. VII, cap. 2, dub. 4, art. 3, n. 8; La Croix, *ibid.*, n. 347; Bonacina,

tom. III, disp. 1, quæst. 2, punct. 4, n. 15; Felix Potest., *loc. cit.*, n. 428; Pignatell. et *Communis* aliorum. (45. Hinc tam dependentes librum apud alium, seu alteri commodantes, aut in pignus tradentes, quam depositarii, seu commodato, aut in pignus accipientes incurunt censuram. La Croix, *loc. cit.*, cum Pignatell. et *Communis* aliorum.

(46. Item censuram incurunt vendentes scienter libros hæreticorum, seu asportantes de uno in alium locum, quia isti nondum sunt retentores, sed etiam fautores hæreticorum. Leander, *De censuris*, tract. 3, disp. 1, qu. 88, et alii communiter. (47. Item censuram incurunt librum retinentes ad confutandum, quia bulla Cœnæ absolute prohibet retentionem, et factum respicit, non affectum; et intentio bona non potest coonestare actum absolute prohibitum. Bordon., in *Manual. consult.* sect. 49, n. 13, et *communis* aliorum. (48. Item censuram incurunt, qui retinent libros hæreticos solum ad ornatum in bibliothecis, licet sine animo legendi, et quamvis idioma non intelligant, quia talis retentio est in periculum infectionis aliorum, et contra finem adæquatam prohibitionis factæ a bulla, nempe ultra periculum infectionis, ut tales libri plene abolerentur in odium auctoris hæretici, et hujusmodi. Sanchez, lib. I, *Moral.*, disp. 10, n. 52 et seq.; Castropal., *De fide*, tract. 4, disput. 2, punct. 10, § 2, n. 7 et seq., et ipso teste *Communis* aliorum. (49. Item censuram incurunt tales libros retinentes, quamvis cognoscant, nullum esse perversionis periculum, quia talis prohibitio non est facta solum ob periculum perversionis, sed, ut dictum est, etiam in odium hæreticorum, et ut sui libri penitus exterminentur. *Communis*.

(50. Item censuram incurunt bibliopola, et bibliopegi, qui hujusmodi libros ad distrahendum, et compingendum retinent. Sanch., Reiffenstuel., lib. III *Decretal.*, tit. 7, n. 72, cum plurimis ibi citatis. La Croix, lib. VII, n. 353, cum Ugolin., Sanchez, Pignatell. ibi cit. (51. Item qui librum, antequam prohiberetur, redigit in compendium, incurrit censuram, si hoc solum compendium manuscriptum legat, vel retineat post prohibitionem, quia est moraliter idem ipse liber compendiat, et a fortiori, si redactus sit in Compendium post prohibitionem. La Croix, *loc. cit.*, n. 350; Pignatell., ibi cit. et alii. (52. Item censuram incurrit, qui partem libri retinet, quia is vere dicitur retinere librum, sicuti dicitur legere librum, qui partem illius legit. Sanchez *loc. cit.*, n. 54; Reiffenstuel., *loc. cit.*, n. 73 et alii passim. Hinc Sanchez, Filiuc., Castropalao, Dicastill., Pignatell., Veruys, Krimer, apud La Croix *loc. cit.*, n. 349, excommunicatos censet aromatarios, mercatores, et quosvis alios, qui hujusmodi libros, aut partes eorum retinent ad involvendam mercem, aut similia.

(53. Retinentes librum per unum, vel

alterum diem cum proposito postea tradendi, excusantur a peccato mortali, et censura. La Croix, *loc. cit.*, n. 348, cum Sanchez, Duard., Regina., Castropal., Diana, Pignatell., Sporer ibi citatis. (54. Item excusantur a peccato, et censura, qui longiori tempore libros tales retinent, ex eo quia non habent opportunum tempus, et occasionem illum tradendi inquisitoribus, vel habenti licentiam eos legendi, et retinendi. Laymann, lib. II, tract. 3, cap. 13, n. 7, Castropal., tract. 4, *De fide*, disp. 2, punct. 10, § 2, n. 10; Reiffenst. l. c., tit. 7, n. 75, et alii. (55. Si tamen tandiu expectarent ad consignandum, ut censerentur non velle consignare, peccarent mortaliter, et incurrent censuram. La Croix, *loc. cit.*, n. 348; Veruys, trac. 5, art. 8 et alii.

(56. Si autem haberent voluntatem absolute retinendi, et paulo post mutarent hanc voluntatem, et vere proponerent, quam primum poterunt, consignare, peccassent quidem mortaliter ratione habitæ absolutæ voluntatis retinendi contra gravem prohibitionem ecclesiæ, at probabilis non incurrisset censuram, quia censura non incurritur ob voluntatem; sed ob ipsam retentionem, adeoque, si retentio de se non sit mortalis, et longa non est materia sufficiens ad censuram. (57. Sicuti si quis habuisset absolutam voluntatem occidendi clericum, et paulo post mutaverit ipsam voluntatem, nec clericum occiderit, nec vulneraverit, quamvis peccasset mortaliter ratione talis habitæ absolutæ voluntatis, non esset tamen excommunicatus. Sanchez, Reginald., Castropal., Sporer, Diana, Veruys, Dicastill., Krimer citati et secuti a La Croix, *loc. cit.*, n. 348.

(58. Per ly *imprimentes*, ad incurrendam censuram intelliguntur, et veniunt omnes, qui ad libri impressionem propinque concurrunt et verè illius causæ sunt, ut typographus, aut patronus officinæ, cujus auctoritate libri typis mandantur; qui humectat, seu præparat chartam, imponit atramentum, typos ordinat, et componit, chartam madefactam supponit torculari, torcular premit. *Communis* cum Reiffenstuel, lib. V *Decretal.*, tit. 7, n. 77; Leandro, *De censuris*, tract. 3, disp. 1, quæst. 82; La Croix *loc. cit.*, n. 356; Sanchez, lib. II *Moral.*, disp. 10, n. 57. (59. Item eandem censuram incurunt transcribentes libros hæreticorum, quia nulla est in substantia diversitas. Leander *loc. cit.*, quæst. 87; Felix Potest. *loc. cit.*, n. 448, et alii. Imo transcribentes incurunt etiam censuram tanquam legentes, et detinentes librum hæreticorum, et tanquam fautores hæreticorum. *Communis*.

(60. Qui facit expensas pro impressione, incurrit censuram, ut fautor hæreticorum, non autem ut impressor, quia non dicitur proprie imprimere, sed solum remote concurrat ad impressionem. Leander *loc. cit.*, quæst. 84 et 86; La Croix lib. VII, n. 356, cum Ugolin., Sair., Filiuc., Dicastill., Pi-

gnatell., ibi citatis, et alii plures. (61. Item corrector exemplaris impressi non incurrit censuram ut imprimens, quia non est proprie impressor sed impressi inspector. Unde incurrit censuram ut legens, et quidem toties, quoties legit magnam partem et etiam ut fautor hæreticorum. *Citati doctores*. (62. Item vendentes impressoribus chartam, characteres, atramentum, aut alia necessaria ad impressionem incurunt solum censuram ut fautores hæreticorum, si talia ipsis vendant animo favendi hæresi, non autem ut imprimentes, quia non concurrunt, nisi valde remote ad impressionem. *Citati doctores*. (63. Imo nullam censuram incurunt, si talia vendant, non ut favent hæresi, sed solum negotiationis, et justiciæ gratia. La Croix *loc. cit.*, n. 356, cum Castropal., Tamburin., Krimer, Pignatell., ibi citatis, et alii passim.

(64. Per ly *defendentes*, ad incurrendam censuram intelliguntur, et veniunt omnes, qui quocumque prætextu, vel causa librum hæretici, quatenus talem, defendunt et tuentur verbis, vel factis, laudando v. gr. et exaltando talem librum, probando ea quæ in eo scripta sunt esse vera, abscondendo illum, aut impediendo, ne inquisitoribus tradatur, aut ne comburatur, et hujusmodi. Sanchez *loc. cit.*, n. 58, Castropal., *loc. cit.*, n. 14; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 78, et alii communiter, textu expresso in ipsa bulla Cœnæ § 1, ibi: « Seu quomodolibet defendentes ex quavis causa, publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore, » etc.

(65. Hinc qui talis libri stylum, vel doctrinam, seu ingenium auctoris laudat eo fine, et animo, ut damnationem, seu consignationem impediatur, censuram incurrit, quia ad censuram incurrendam non requiritur quod defensio fiat præcise ob hæresim, vel hæreticum, sed ut expresse loquitur bulla: « Ex quavis causa publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore. » La Croix *loc. cit.*, n. 359; Pignatell., ibi cit., et alii. (66. Non incurrit tamen censuram, si laudet stylum libri, vel ingenium auctoris, vel catholicam doctrinam, quæ in eo est, sed non quatenus in eo est, nec in ordine ad tuendum, ne damnetur, ne inquisitoribus tradatur, aut comburatur; quia hæc laudat secundum se, non ut opera hæretica, et auctoris hæretici, adeoque non defendit librum hæretici. Sanchez *loc. cit.*; Reiffenstuel., *loc. cit.*; Busemb., lib. VII, cap. 2, dub. 4, art. 5, n. 8; Leander, *De censuris*, tr. 3, disp. 1, quæst. 94 et 95; Bonacina, Laymann, et alii passim.

(67. Libri, et Scripturæ de ritibus Sinesibus publicari prohibentur; Benedict. XIV, tom. 1, constitut. 59, incip. *Ex quo*, § 8. (68. Libri gentilium de falsa religione, seu de rebus obscenis, et superstitionis tractantes, fidelibus prohibentur. Idem constitut. 107 incip. *Omnium sollicitudinem* § 3 et 4. (69. Librorum quorumque editio super argumento imminutionis festorum de